



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

16. Dom V. Quad. de immunitate Christi à peccato. Ioan. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

DOM. TO TIVS ANNI. 33 <sup>Isa.</sup>

suam, *omnis enim caro fœnum*, ait *Isaias*,  
mortificante & supprime. <sup>40.</sup>

*Collegerunt duodecim cophinos fragmen-*  
*torum.* Considera, quando bona nostra, si-  
ue temporalia, siue spiritualia, etsi pauca  
sint, libenter communicamus proximo,  
non perire, sed crescere & multiplicari, uti  
multi magni eleemosynarij experti sunt. 2.  
maiolem fuisse post saturationem colle-  
ctionem fragmentorum, quam panum, ut  
significaretur indeficientia conuiuij cœle-  
stis in vita æterna consecutura, ubi quisque  
fragmento suo, id est, speciali beatitudine  
ita saturabitur, ut nec esuriat, nec sitiat  
amplius. <sup>3.</sup>

DOM. V. QVADRAG. <sup>Iudic.</sup>

*De immunitate Christi à peccato.*

*Ioan. 8.*

**D**IXIT *Christus Iudæis.* (*Quis ex vobis ar-*  
*quet me de peccato? Qui ex Deo est, verba*  
*Dei audit.*) Considera, cum à Christo dica-  
ris Christianus, te conari debere, ut immu-  
nis sis à peccatis saltem mortalibus: & sci-  
re potius esse moriendum, quam in tale  
peccatū consentiendū. deinde deliberatō,  
maximè si religiosus sis, nec consentire in  
venialia, imò etiam cauere imperfectiones

C 2 quæ



quæ peccata non sunt. 2. examina te ipsum, an verbum Dei, exhortationes pias, & inspirationes diuinas libenter audias. iisque obsequaris: quia si secus fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædestinatorum.

2. *Cum Iudæi dicerent eum esse Samaritanum & habere demonium, respondit. (Ego demonium non habeo, sed honorifico patrem meum Non quero gloriam meam.)* Considera, patientiam Christi nihil respondentis de nomine Samaritani, quia tangebatur contumelia personam ipsius, (nam reputabant eum indignum sua conuersatione, nõ enim Samaritanis contebantur Iudæi, sicut *Iohan. 4.* ut nec nos nunc Iudæis, & Turcis) sed de dæmonio, quia tangebatur gloriam Dei, mitissime respondit. *Ego demonium non habeo* & considera, si Christus propriam gloriam non quæsiuit, quanto minus tu debeas Fac ergo omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te. vnde vides quantum peccent, qui honoris sui cupidi, minimam etiam iniuriam vindicare non dubitant sanguine suo.

3. *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Considera, hæc promissionem esse eius, qui mentiri & fallere non potest, & quidem de morte spirituali



tuali animæ. Vide, quantum Dei benefici-  
cium sit, in æternum non solum viuere, sed  
felicissimè viuere; taliq̃ue cogitatione te  
obfirma, ne sermones Dei vnquam sciens  
transgrediare.

DOMIN. VI. QVADRAG. *Palmas*  
De ingressu Christi in Hierusalem. *1478.*  
*Matth. 21.*

**P**RÆCEPIT primo Dominus adduci asi-  
nam & pullum (Soluite & adducite mi-  
hi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia  
Dominus his opus habet, & confestim dimit-  
tet eos) Considera primo, Christum pro suo  
triumpho vilia præparare animalia, nullo  
ornatu, etiam necessario, instructa, vt di-  
scas Christiani hominis triumphum & glo-  
riam veram esse in amore contemptus sui,  
humilitatis & paupertatis. Pauperum enim  
spiritu est regnum cœlorum. 2. in ipsa *Mat. 23.*  
humilitate simul ostendere suam potenti-  
am, tum quod tanquam Dominus omniũ,  
iubet bestias solui & adduci, non petita pri-  
us potestate à Domino earum; tum quod  
mouit cor absentis, vt sponte eas dimitte-  
ret, vt discas nihil potentius esse humilita-  
te ad solutionem à peccatis, & Deum tibi  
conciliandum, vt faciat, quod petis,

C 3 *disci-*